



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quid sit diligere Deum ex tota mente, 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

rus nullus superat. Nescit enim homo precium ejus: quia omne aurum in comparatione amoris, arena est exigua. Sine amore, dives pauper est: & cum illo, pauper dives est. Quia qui Deum tota anima amat & diligit, jam habet quem amat. Nec eum vere diligere posset, si eum quem diligit, non haberet. Amorem tuum, Domine, alienus amor non occupat, nec ei commiscetur; quia non possunt commisceri vera vanis, caelestia caducis; spiritualia corporalibus, summa imis.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, incomprehensibilis dilectionis author & infusor, ego miserimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea; imo, quod damnabilius mihi est, tuo amore spreto & derelicto, amorem meum posui in mundanis, vanis, & noxiis damnabilibusque rebus. Et sic iste miserabilis amor ducet me ad odium tuum perpetuum; nisi infinita tua misericordia, infinitus amor tuus, adjuvare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus gloriosus amor, qui me trahat ad te, relicto isto transitorio amore, ut in tua dilectione perpetuo valeam manere, Amen.

## C A P V T XIV.

*Quid sit diligere Deum ex tota mente.*

1. **P**lissime Domine Iesu Christe, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente; scilicet memoranter, perpetuo, ac perseveranter; ut omnes sensus hominis, scilicet voluntas, intellectus, memoria,

ria, & omnes eorum operationes tibi vacant. Quod si in aliorum dilectione occupentur, jam ex tota mente, qui sic occupatur, te non diligit. Scriptum est enim: *Omni tempore diligit, quia amicus est.* Talis igitur dilectio totius est mentis ligamen, viscum & glutinum, hominem tibi indissolubiler uniens atque ligans. Quia amor est quaedam vis mutua & virtus agglutinativa, summa movens ad infima: & novissima, id est, subjecta, ad meliorum, id est, suprapositorum confirmationem; ut anima hoc glutino glutinata, tibi dicat; *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tantus est namque amor à tota mente procedens, quod anima tibi unita tali dilectionis glutino, nec panna, nec tormento, nec igne, nec ferro, nec ullo alio supplicio potest dissolvi, nisi adveniat peccati mortalis immunditia. Imo citius (Domine Iesu Christe, amantium portus) manus à brachio, caput à collo solveretur, & moveretur, quam anima tali glutino amoris tibi unita & conjuncta, à te aliquo modo separaretur. Res enim forti glutino glutinata, citius rumpitur & frangitur in aliis locis, quam in ipsa conjunctura.

2. Sic etiam est de anima, ut patet in sanctis Martyribus, qui à tuo amore nullis pœnis poterant avelli, vel quantulumcunque separari. Facilius enim pes separaretur à tibia, & caput à cervice, quam ipsi à te. O dilectio, quam magnum est vinculum tuum, quo ligari potuit Deus! O piissime Domine Iesu Christe, opifex amoris, hoc vinculum te in cruce tenuit, quem omnes funes totius mundi

mundi nullatenus tenuissent. Amor, benignissime Domine, ex mente procedens, est triplex funiculus qui difficile rumpitur. Quia te diligere debemus ex toto corde, id est, intellectu, sine errore; tota anima, id est, voluntate, sine contradictione; & tota mente & virtute, id est, memoria, sine oblivione. Concede mihi misericordissime Domine Iesu Christe, largitor amoris potentissime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente; ut à te nunquam valeam separari, sed tecum perpetuo in perfecto amore permaneam, Amen.

## C A P V T X V.

*Quod amor est fortis armatura anima.*

I. **H**OMO scuto & armatura munitus amoris tui, benignissime Domine Iesu Christe, in tentationis proelio stat inconcussus, invincibilis atque firmissimus: non timens, etiamsi cum ea tota acies dæmonica decertaret. Tu enim, piissime Domine Iesu, homini amorem habenti, bonus adjutor & fortis defensor assistis, quia tu amor es: & qui in tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, ut verus & fidelis amicus, qui libenter subvenit amico suo, & eum defendit, sicut scriptum est: *Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores (id est, dæmones infernales, vel homines pestilentes) disperdet.* Sed, Domine, non sic est de alia virtute: quia tu, si quis sine dilectione aliquid faciat, non sic praesto